

verò astruit Christum esse absq; peccati labe, id non habet exinde, quod Maria sine peccato Originali fuerit, sed quod Spiritus sanctus supervenerit, & virtus altissimi obumbraverit *Luc. 1.*

20. *An liberi infidelium extra Ecclesiam nati damnentur?*

Resp. Quamquam hæc quæstio pro & contra disputari possit, præstat tamen ἐπέχειν O altitudo divitiarum, &c. *Rom. 11, 33.*

21. *An liberi fidelium sine baptismo decedentes damnentur, & in Limbum detrudantur?*

Responsionem pete ex Loco de Ecclesia sub terra, quæst. de limbo infantum.

22. *Quid sit sentiendum de peccati Originalis effectis, quæ philosophicâ quasi disertatione Bellarminus recitat?*

Mala illa per lapsum Adæ in mundum esse introducta non negamus. Disertatio autem illa non est per omnia approbanda, quia
 1. Bellarminus quod est peccati formale, ut cæcitas mentis, repugnantia voluntatis & ἀταξία appetitus, hoc ipsum pœnam ait peccati & insequi illud. Si intelligeret per peccatum Actum Adami, tunc plausibiliter aliquid diceret: sin verò habitum transfusum, jam, ut diximus, aberrat à veritatis scopo. 2. Deinde confundit pœnas speciales & personales, cum communibus & generalibus. De his, non verò de illis hic agitur propriè. 3. Nimis extenuat vulnera & morbum 4. Contra scripturam asferit, concupiscentiam non esse propriè dictum peccatum.

IN LOCO

DE PECCATO ACTUALI.

THEOREMATA.

1. Peccatum actuale est ἀνομία, carne profecta legem Dei transiliens cum reatu temporalium & æternarum pœnarum.
2. Definitum est peccatum actuale, sic dictum ab actu vel agendo, quia ex radice vitiosæ naturæ peccata tum interna, tum externa prodeunt.
3. Synonyma ejus in Sacris sunt, quod dicantur, opera carnis, opera infructuosa, tenebrarum actiones, Veteris hominis opera mortua, *Gal. 5, 19. Eph. 5, 11. Col. 3, 9. Heb. 6, 1.*
4. Definitionis genus est ἀνομία.
5. Materia hujus peccati sunt actus humani pravi.

6. Forma